



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XXIX. Idem (a) Heliensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

plene, ac pacificè possidendam : prædicto Decano super hoc perpetuum silentium imponendo.

NOTÆ.

1. (a) **A** *Ltissiod.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* De Decano Altissiodorensi, & ejus jurisdictione nonnulla adduxi in *cap. 14. de præsumpt.*
2. (b) *Hofiensis Episcopus.*] Hugolinus videlicet Anagninus Comes, qui Innocentio III. successit, & Gregorius IX. dictus fuit.

(a) *Servaret.*] Legatus enim à latere potest reservare primum beneficium vacaturum, etiam si ejus præsentatio spectet ad Patronum ecclesiasti-

cum, ut probavi in *cap. licet, de offic. Legati,* ubi Commentarium hujus textus dedi.

(d) *Quasi laico.*] Quo casu Legatus etiam à latere non potest derogare Juripatronatus, nec beneficia talis Juspatronatus laicalis conferre; imò et si à Pontifice super his beneficiis rescripta gratiæ impetrentur, retineri solent per judices seculares, ut probant Chopinus *de sacra Polit. lib. 1. tit. 4. Salgado de retent. bullar. 2. p. Salcedo de lege Polit. lib. 2. cap. 7. num. 26.* Zypeus ad hunc tit. *consult. 4.*

(e) *Alexandri PP.*] In *c. quod autem, supra hoc tit.*

CAPUT XXIX.

Idem (a) *Helienfi Episcopo.*

Pastoralis officii. *Et infra:* Cùm autem sæpe contingat, patronos Ecclesiarum laicos nunc unum, nunc alium ad vacantes Ecclesias præsentare, sollicitè postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, an clericus ad aliquam Ecclesiam à Patrono laico præsentatus, si dicecæsanus Episcopus ipsum non duxerit admittendum, ex hujusmodi præsentatione aliquid juris assequatur in illa: & si fortè idem ad Sed. Ap. (b) appellaverit, & post appellationem ab ipso interpositam, idem Patronus alium curaverit præsentare, ac Episcopus secundo instituerit præsentatum, idem ab ipso meritò debeat amoveri. Nos igitur bon. m. (c) Alex. PP. Prædec. n. pro sua reverentia vestigiis inhærentes, qui inter præsentatos à laico conditionem possidentis censuit meliorem, dicimus, quod institutio præsentati secundo loco à laico Patrono robor obtinet firmitatis. Veruntamen constituimus, ut Episcopus, qui præsentatum idoneum malitiosè recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur, quatenus (d) puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse.

NOTÆ.

1. (a) **H** *Helienfi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* & in *cap. pastoralis, de rescript.* ubi alias partes hujus Decretalis congregimus, & præsentem inscriptionem exposuimus.
2. (b) *Appellaverit.*] Sed quomodo appellatione ritè interposita potuit admitti secunda præsentatio, nec ut attentata revocetur, contra adducta

suprà in *cap. 1. de appell.* Respondetur, quod licet hæc secunda præsentatio facta fuisset pendente appellatione, non tamen fuit celebrata contra appellationem, quia tunc primò præsentatus appellavit à denegatione institutionis, non verò petiit, ne secunda præsentatio fieret, ut docuit Balboa in *cap. 1. de appellat. num. 48.*

(c) *Alexander.*] In *c. quod autem, hoc tit.* ubi Commentarium hujus textus dedi.

(d) *Puniatur in eo.*] *Cap. non est, de temp. ord. lib. 6.*

CAPUT XXX.

Idem (a) *Aurienfi Episcopo.*

Postulasti per Sed. Ap. edoceri, ut cùm Rectores parochialium Ecclesiarum quandoque quosdam præsentent ad suarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos Rectores pertineat, vel etiam ad patronos: & si in his patronorum non est requirendus assensus, utrum jus illis saluum remaneat eligendi, ut cùm ipsas Ecclesias vacare contigerit, titulati hujusmodi non sint aliis præferendi. Ad quod f. t. b. respondemus, quod per intitulationem hujusmodi nullum Patronis præjudicium generetur, quin possint alios ad ipsas Ecclesias, cùm vacaverint, præsentare, nisi de patroni processisset assensu.

NOTÆ.